

Collegio Maximo Societatis JESU Professore, laureâque Academicâ redimitus, præcipuâ inter coetaneos laude, in Theologorum album exceptus, strenuam huic scientiâ operam dedit cum in Aulis Universitatis, tum etiam in Academia S. Philippi Neri, quam diu frequentavit, scholasticis, moralibus, oratorijs, & amœnioribus exercitationibus sic intentus, ut nomen sibi apud sapientes viros pepererit, Doctoratusque apicem tulerit. Conciones haud vulgari plausu habuit, sacras confessiones excepit, Cathedrasque petivit. Apud Tridentinum Seminarium Collegium Mexicum inito de more pro suggestu Philosophiâ regendo concursu, solitisque præmissis scholarum concertationibus, Moderator renunciatus, triennium in ea adornanda sparta reposuit. Patrios ubi lares repetijt, multi ab Illmô. Michoacanensium Præsule ceterisque viris perdoctis habitus, ad Paræcias expetitus regendas, insignem tenuit Urbis S. Ludovici Potosini, quæ primarias inter Regni censetur. Huic jam pridem obeundo muneri deditus, etiamnum incumbit, agrâ licet valetudine divexatus, qua ut liberetur, D. O. M. pro antiquâ nostra amicitia & consuetudine deprecamur. Scripsit

*Cursum Philosophicum 3. aut 4. tomis distinctum.* in quarto,

Cujus apud Discipulos ejus sunt exemplaria.

*Prelectiones Philosophicas & Theologicas varias.*

Hispanicè autem

*Poeticam pro recens nato JESU Academico ritu laudando concertationem, dato varibus symbolo.*

*Sermones panegyricos & morales.*

Authographa apud ipsum credimus asservari.

241 M. F. ANTONIUS CASSIMIRO DE MONTENEGRO, Natione Mexicanus, primam Mexici lucem aspexit, & primis litterarum ac Latinitatis rudimentis instructus in Regio S. Joannis Lateranensi Collegio, quod já inde ante annum 1549 in fundo Lateranensis Ecclesiæ, quæ Mater est omnium Urbis & Orbis, constructum fuit, eximijisque privilegijs munitum, cum ab Apostolica Sede, tum etiam à Catholicis Hispaniarum Regibus, qui pro victoribus sumptus adhuc usque ministrant: Inde clarissimum Ordinem Prædicatorum quæsit, in quo fausto quidem Parentis sanctissimi fidere effulgente professus, studijs traditus Artium atque Theosophiæ, utraq; familiarem sibi Facultatem tam fecit, ut suo à Superioribus tempore destinatus Lector eorumdem, non perfunctoriè docuerit discipulos. Sacris insimul pro suo Instituto concionibus & se exercere, & prodesse auditoribus haud omisit, doctrina ad id muneris etiam, ceterisque talentis ornatus. In Civitatem Guadalaxarensis, Noxæ Gallicæ amplif-

plissimi Regni potiorum, obedientia duce profectus, Magister datus est & Director illustri non ita pridem erecto in Dominicanorum Cœnobio Tertij eorundem Ordinis & Christi Militiæ Sodalitio, cujus officij partes ut impleret numeris omnibus, multis è superiori loco Sermonibus hortationibusque egit doctis & fervidis, nec pias alias prætermisit exercitationes, quibus demandatos sibi filios instrueret, Ordinemque illustraret. Hinc in caelos abeunte, ut pium est credere, ejusdem Sodalitatis Priore Venerabili viro sæculari Præsbytero Joanne Gonzalez de Villa-Verde, Mexicano, qui primus id munus obierat, justa ei ut solennissimè agerentur curavit, honorarium poematibus tumulum à hispanis & latinis instruxit, Orationemque habuit eruditam & doctam, virtutes emortui Sacerdotis complexam, quam hocce donatam titulo typis obtulit.

*Moyse Dominicanus V. P. & Præsbyter D. Joannes Gonzalez de Villa-Verde primus admodum Venerabilis Tertij Ordinis & Christi Militiæ S. P. N. Dominici Prior: Oratio habita coram Regio Auditorio Guadalaxarensi, Nobilitate ejusdem Civitatis Senatu, atque religiosi Familij, in Prædicatorum Templum confluentibus honoris ergo viri, quem viventem omnes suspexerant.* Mexici ex Typographia Josephi Bernardi de Hogal 1735 in quarto. Extat t. 56. Collect. nostræ.

Ediderat ante duos annos alteram à se dictam Concionem, funebrem in Exequijs ductis admodum R. M. Josephæ Mariæ à Christo, Carmelitæ Excalceatæ Cœnobij à S. Josepho Granatenfis, ab ejusdem nepote D. D. Josepho Messia de la Zerda & Vargas, Consiliario Regio, Auditorque Guadalaxarensi, cui titulum fecit Lamentationi

*Judith Religiosa.* Mexici, formis Hæredum Francisci de Lupercio 1733. in quarto.

Ediderat icidem habitam à se Panegyrim

*In Canonizatione S. Joannis à Cruce, apud Excalceatas Virginis Carmelitanas Guadalaxarenses solennissimè celebratâ.* Mexici, in Chalcographia H. Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio 1729, in quarto. Et habetur in Libro ejus Argumenti conscripto à D. D. Lucas de las Casas, mox dictis formis & anno excusso. Habet etiam Mss Sermones plures.

242 F. ANTONIUS CASTRILLON, Natione Mexicanus, ortus est Zamoræ Villa apud Michoacanenses illustri, Mexicumque translatus ut studijs vacaret, apud Regale S. Ildefonsi Collegium, ejusdem cohonestatus trabecâ tandem substituit, quo usque factis multis in Philologia & Theologia progressibus laureas sibi Academicas meruit. Sectatus Ordinem Seraphicum in Provincia SS. AA. Petri & Pauli Michoacanensis, sacro deditus indefesse



suggestui, Prædicatoris Emeriti gradum tenuit, Custodisque ejusdem Provinciæ munus insignis, & Præfecturas alias. Edidit à se habitam vernaculo idiomate

*Orationem funebrem panegyricam, justa persolyente inclytâ Queretarensum Urbe munificentissimo Benefactori suo D. D. Joanni Antonio de Urrutia, Arana, Cuerrero & Davila Equiti Ordinis Alcantarensis, Marchioni Villar ab Aquila nuncupata.* Mexici, typis Viduæ Josephi Bernardi de Hogal 1744. in quarto. Habetur t. 3. Coll. noſt.

*Poemata cum hispana, tum etiam latina pro ornando Cenotaphio eidem Marchioni erecto, à Nostro disposita una cum molis & apparatus funebris descriptione.* Extat in eodem mox indicato Codice.

His ut Mss adjiciantur optamus.

243 P. ANTONIUS DE CAZARES, Natione incerta nobis, Jesu Soc. alumnus, Rhetoricam dum profitebatur in Collegio Maximo SS. AA. Petri & Pauli Mexiceo, amœnissimum scripsit opusculum, cum multis alijs in eundem scopum collimantibus diversorum Authorum reservatum in libris Annalium hujus argumenti in Bibliothecâ ejusdem Collegij. Scilicet

*Natalis Jesu-Christi Domini nostri sub Cupressi symbolo.* Anno 1686. Alia hujus Scriptoris nos fugiunt.

244 D. ANTONIUS DE CHAVES ET LIZARDI, Natione Mexicanus, Patria Queretarensis, nobilibus

ortus Parentibus, Latinitati ad discendâ incubuit & Philosophiæ in Collegio Societatis JESU ejusdem Civitatis, quæ nativis, quibus abundat floribus fructibusque pulcherrimis, cultiores addit & sapidiore sub illis Magistris, ceu amœnissimi Horti accuratissimis olitoribus. Mexicum transplantatus pro majoribus audiendis Facultatibus, Regium S. Ildefonsi Collegium incoluit annos 16. Nam, quod in Civili juxta & Canonico Jure egregiè profecerit, laureasque Minervæ propterea retulerit; atque alios inter candidatos Regiæ, ut vocant, Trabæ, seu Præbendæ ejusdem Musæi horatijs prælectionibus & concertationibus id honoris & commodi postulantes, eminuerit palamque retulerit, substitit ibidem decennio, sibi juxta ac Sodalibus studio & dissertatione egregias eruditionis comparans opes. Triginta, quibus constat secundus Decretalium liber, titulos, multis & gravissimis onustos quæstionibus, præfide Illmo. viro D. D. Carolo Bermudez de Castro, Primario Canonici Juris Antecessore in Universitate, per diem integrum propugnandos coram exhibuit, & egregiè, plaudentibus auditoribus sapientissimis, propugnavit. Doctor in Jure Canonico creatus, & apud Senatum Mexicicum Regium institutus causarum Patronus, atque apud Quæstiores Fidei pro carceratis tuendis insignitus Defensor,

for, his ritè muneribus functus est. Pro regendis Universitatis Cathedris certans, varias victor obtinuit, scilicet Decreti, quam ad quadriennium est moderatus, deum Clementinarum, cui præfuit sexennio, hinc Institutionum Justinianarum quadriennio itidem frequentatam, postmodum Vespertinam Juris canonici Perpetui Antecessoris regendam titulo: tandem similiter Primariam Juris civilis, cujus Facultatis Doctorali laurea donatus, in ea Emerici tenet honores, postquam totos 27. annos docendo posuit strenuâ quidem operâ, sive quotidianas prælectiones requiras, sive privatas & publicas quaras in Palæstra concertationes. Nec accurate minus Academia præfuit Rectoris munere, Pareciæque à Sancta Catharina Martyræ perpetuò titulo, è qua in Primariam Cathedralis Ecclesiæ Parochiam translatus, huic in præsentiarum curandâ incumbit. Ad hæc, Ecclesiastici Fidei Promotorem duodecim amplius annis egit exactè, multis intentus & arduis negotijs, cum ex his quæ munus id suo opte petunt, tum etiam particulari sibi junctis delegatione. Hæc licet nimis operosa implicataque sint, nihilo tamen minus expeditum fecere ut Carmelitanis Virginibus in Cœnobio à S. Josepho degentibus sacra promptissimè ministraverit Capellani defungens onere annis retro 19. quam etiamnum provinciam in-

sequitur. Jam, ne amico ad blandiri videamur, ad ejus scripta veniamus quæ ex Academicis Libris eruantur, sunt autem Commentaria

*In Causam 3. Q. ultim. Decreti Gratiani.*

*In Causam 2. Q. 6. ejusdem Decreti.*

*In Titulum 2. Lib. 1. Clementinarum: De Rescriptis.*

*De Hæredibus instituendis.*

*De Vulgari & Pupillari substitutione.*

*De Regulis Juris in 6.*

*De Renunciatione.*

*De Procuratoribus.*

*De alijs selectis ad jus civile spectantibus controversijs.*

Præterea habet penes se Mss

*Prælectiones varias canonicas & civiles,*

*Et Allegationes ffcales.*

245 FR. ANTONIUS DE CIUDAD REAL, Natione Hispanus, ortus in ea Urbe quæ ipsi cognomen dedit, estque in Oretanis, Institutum S. Francisçi sedatus in Conventu Tolerano à Regibus dicto, Latinitate egregiè instructus & Philosophia, nondum Sacerdotio initiatus, eo tempore Americam petijt, quo ejusdem Ordinis vir insignis D. F. Didacus de Landa, Jucatanensi se restituit ditioni ejusdem destinatus Episcopus anno 1573. secum deferens consecrato triginta ejusdem Seraphici Regulæ Sodales, quos inter advexit Nostrium. Is animum pro juvandis Indis statim appli-



applicuit idiomati Provinciæ ad-  
discendo, quo tam fuit imbutus  
& doctus, ut peritissimis quibus-  
que facile antiret. Ecclesiastem  
egit multo cum neophitorum  
fructu, atque ut erat egregiâ pru-  
dentiâ, & in gubernando peritiâ,  
ascitus à multis Familiæ Præsidi-  
bus Socius à secretis, apud Com-  
missarium in America nostra Ge-  
neralem Fr. Alphonsum Ponce,  
eo functus munere, ipsum comi-  
tatus fuit in adversis, quorum  
extant penes Torquemadam mo-  
numenta in Monarchia Indica  
tom. 3. lib. 19. cap. 28. Hac de  
causa in Hispaniam eo cum de-  
latus, ubi extremum ille diem vi-  
dit, Noster Jucatanum repetijt  
suo Indos fovendi proposito in-  
sistens. Provincialis electus, res  
opportune pro infra sibi man-  
fuerudine administravit atque  
prudentiâ, qua cum non emine-  
ret is qui prophanarum potieba-  
tur ea tempestate, locum dissi-  
dijs cum inter & Nostrum dedit.  
Semi seculo fere postquam Juca-  
tanum coluerat, nec voce dun-  
taxat, sed christianis etiam exem-  
plis gentem docuerat, religiosæ  
& exemplaris vitæ laude conspi-  
cuis obiit 5. Julij anno 1617.  
ætatis 66. & religiosæ vitæ 51. Ex  
his, quadraginta magnæ molis  
operi scribendo dicavit, adeo ut  
ne quidem negotijs Commissa-  
rij Generalis, quibus intendebat,  
multisq; districtis itineribus, illud  
dimiserit, uti ex ejus ore accepisse  
testatur P. Lizana relatus à Co-

golludo loco mox dâdo. Fuit  
quidem opus id *Magnum Lingue  
Maya seu Jucatanica Dictionarium*,  
quod appellavit

*Calepinum ejusdem idiomatis sex  
grandibus voluminibus constans*, quo-  
rum quodque quadringenta fo-  
lia, octingentas subinde comple-  
ctitur paginas, tam illud copio-  
sum & dives, ut elegantias Lin-  
guæ cunctas ditissimæ exhibeat,  
& ne quidem vocem unam fru-  
stra in eo quæras. Extare Mss  
apud librariam techam Ducis In-  
fantatus tradit D. Nicolaus An-  
tonius in Bibliothecâ Hispaniæ.  
Nova pag. 86. ex P. Lizana qui  
idem in sua Historia Jucatanum testa-  
tur c. 16. Nos verò addimus haberi  
etiam aut integrum, aut ma-  
jorem partem, cariosum blattis-  
que transfixum, in Bibliotheca  
Cœnobij Franciscanorum Emeri-  
tæ Civitatis, quæ caput est Ju-  
catanæ Provinciæ, ut ab ejus So-  
dalibus jam pridem accepimus.  
Præterea Noster condidit

*Dictionarium Hispano Jucata-  
num.*

*Dictionarium Jucatanum Hispan-  
num.*

*Sermones de Sanctis & per an-  
num integrum*; uti citati hactenus  
tradunt. His annectimus opus aliud,  
quod Bibliothecas Hispanam  
Franciscanamque fugit, & affer-  
tur à Cogolludo lib. 9. cap. 16.  
pag. 514. Scilicet

*Tractatus de Nova Hispania  
magnalibus, & eventibus in ea quam*

Com-

*Commissarius suus lite traxerat.* Non  
tamen scriptum hoc effugit An-  
tonium de Leon ejus memorem  
col. 696. aliorum verò col. 730.

† 246. M. F. ANTONIUS CLAU-  
DIUS DE VILLEGAS, Natione  
Mexicanus, incunabilis usus Me-  
xicis, & optime traductâ pueri-  
tiâ, Prædicatorum Ordini in San-  
jacobeâ patria Provincia sese de-  
dit. Philosphicis apprime infor-  
marus atque Theologicis, utrius-  
que Cathedras Facultatis in Per-  
illustri & celebri de Porta-Cœli  
Collegio ejusdem Ordinis Mexi-  
cano tenuit egregiâ laude, quòd  
insignes instituerit discipulos, qui  
postmodum evasere Magistri do-  
ctissimi, & assuetis publicis scho-  
læ certaminibus majora & non  
ita usu frequentia indixerit, qui-  
bus interfuisse nos quoque, &  
symbolum posuisse meminimus.  
Hinc & alios Palæstre honores, &  
Magisterij gradum adeptus, Pro-  
curatorem egit generalem Pro-  
vinciæ, & Cœnobij præfectus  
fuit nobilibus Queretarensi, Gua-  
dalaxarensi, multisque alijs, ac  
demum Mexico, quod totius  
primum est & caput Provinciæ,  
quam etiam Rectoris munere  
administravit defuncto ejusdem  
Priore Fr. Emmanuele Ximenez  
de Zisneros; Indictis verò pro fa-  
miliæ jure comitijs, Provincialis  
est renunciatus, quod in præsen-  
tia onus non abtque communi  
emolumento gerit & laude. A  
Quæstoribus Fidei Censor adle-  
ctus, huic exactè muneri incum-

bit, pro ut in Diocesi Guadala-  
xarensi Examinatoris Synodalis  
onus explevit. Concionatoris par-  
tes jam diu susceperat, nempe ab  
eo tempore quo Aulis Academi-  
cis sese addixit, etiam nunc im-  
plet, doctis sanè & ex arte atque  
cruditione multa factis sermoni-  
bus, ex quibus prælo derudit ali-  
quos his prænotatos titulis.

*Phœnix triplex in triplici singula-  
rissima Deiparenis Martyrio.* Me-  
xici, typis Josephi Bernardi de  
Hogal 1737. in quarto. Extat  
tom. 19. Collect. nostræ.

*Mysticus Jacobus. Oratio fune-  
bris habita in Exequijs Mexici du-  
ctis à Provincia Prædicatorum S. Ja-  
cobi Exemò. ac Rmò. Magistro suo  
Generali Fr. Thoma Ripoll.* Mexi-  
ci, litteris D. Mariæ de Ribera  
1749. in quarto. Legitur tom.  
34. Collect. dictæ.

*Esbies Mexicana. Oratio habita  
in Cathedrali Ecclesia Proto-Parenti  
Sancto Petro die sacra.* Mexici, mox  
dicta Typographia 1750. in  
quarto. Habetur tom. 69. Coll.  
nostræ.

*Major gloria Maximi inter ca-  
lestes Spiritus, primique majores in-  
ter Principes Archiseraphini S. Mi-  
chaelis.* Mexici, prælo V. D. Jo-  
sephi Bernardi de Hogal 1751.  
in quarto.

Quòd spectat ad Mss, & *Ser-  
mones & Theologicas Philosophicas  
que Tractationes* Author reservat, è  
quibus tomos edere posset, quos  
non sine laude eruditi perlege-  
rent.



247 M. FR. ANTONIUS DE CORDOVA, Natione Mexicanus & Patria, post strenuè navatam Philosophiæ operam, Medicinæ alumnum se præstitit, cujus Facultatis insulam Doctoralem fuit assecutus, & è multis candidatis Cathedra Primariè ejusdem Moderator ad tempus adscitus, cui tandiu infudavit, donec vocatus ad sublimiora, ipsam ultrò deposuit, & cæteris etiam relictis, Ordinem S. Francisci in Provincia S. Evangelij professus est, & Sacerdotio initiatus. Tum sacram excoluit Theologiam, ægrotisque animabus medendis se dedit, religionis incumbens officijs, auctus que etiam honoribus: quos inter Commissarij, ut dicunt, Hierosolymitani titulum multis annis ad mortem usque tenuit, libentissimè curans ut Sodales loca sacra Redemptoris nostri sanguine insignia incolentes, & religiosâ pietate frequentantes, Americanis juvarentur subsidijs. Obiit plenus dierum in Conventu Maximo S. Francisci Mexico, in quo celebri pompa sepultus fuit, concurrente cum religiosis Familijs Academiâ Mexicæ Decani sui Medici funus prosequente. Alia quamvis scripserit ad rem Medicam attinentia, unius duntaxat in Libris Academicarum Lctionum Commentarij,

*De Sanguinis missione,*

Memoriam invenimus, propterea quòd eo tempore confuctudo cæperit redigendi in tabulas Pro-

fessorum Lctiones, quo Noster illis subductus in Seraphicum se gremium recepit.

248 F. ANTONIUS CORREA, Natione, ut videtur, Mexicanus, ignota nobis Patria, Seraphici Ordinis alumnus in Provincia S. Evangelij, Tertiarijs in Villa de Carrion, Vallis de Arrifeo Commissarius, atque in spiritu Director datus, vir fuit non modo in facris & theologicis doctus, sed adeo in amœnioribus litteris eruditus, Oratorque insignis, ut de ipso scribere haud dubitaverit emunctæ naris homo Fr. Balthasar de Medina & ipse cruditissimus, in Censura mox indicandæ Concioni data, quod de ejusdem nominis & cognominis Lusitano D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispaniæ Novâ tom. 2. p. 242. scripserat: *Insignis enim Rhetor & Poeta in eloquentiâ laude unum aut alterum parem, superiorè verò habuit neminem.* Nec immeritò: Nam, ut legentibus, quas subdimus, Orationes palam fit, iudicio ille fuit in cogitando disponendoque, acumen in dictione præferret, & undique artem spirat, nisi quod aliquando (ne hoc dissimulemus) violentiam ferè periodo inferat, quod seculi magis vitium præteriti proxime quam Authoris dicendum. Edidit hispano sermone *Annulum Salomonis, seu de Augustissima Triade panegyrim.* Mexici, ex Typographia Viduæ Bernardi Calderon 1682. in quarto. Habetur tom. 36. Collect. nost.

*Syllogismum Sacramentalem atque Marianum, seu panegyrim de Immaculata Beatissima Virginis Conceptione.* Mexici, formis Francisci Rodriguez Lupercio 1683. in quarto. Extat t. 60. Collect. nost.

*Funebrem panegyrim pijs manibus nobilissimi ac pierrissimi civis Didaci del Castillo in Cenobio Excalceatarum à S. Elisabetha Virginum.* Mexici, ex Officina ejusdem Lupercij 1683. in quarto.

249 P. ANTONIUS CORTEZ ET PUEBLA, Natione Mexicanus, ortus Mexici prænobili gente, litterarum à teneris studium arripuit, & cum Maximum SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU Collegium frequentavit, tum etiâ Mexicam Academiam, in qua, post absolutos Philosophiæ cursus, pro laurea decerpandâ præscriptos, eaque donatus, egregios audivit Magistros D. Joannem de la Peña Butron, Primarium Theologiæ Antecessorem, & D. Isidorum de Sariñana, Sacrorum Bibliorum Interpretem, atque alios Minervæ id temporis sublellia tenentes. Societatem inde JESU in Provincia patria ingredi optavit, composque voti factus, talis tantusque evasit, celebriores inter ut computetur ejusdem alumnos. Nam & Collegia rexit nonnumquam, & diu incubuit Cathedris moderandis, Philosophiam primùm publicè tradens, deinde Theologiam in Goatemalaensi Muzæo, quod insigne merito habetur, concurrentibus in

ea Urbe, amplissimi capite Regni, viris doctissimis omnium Ordinum, florèntequè Universitatè, à S. Carolo dicta, illustri admodum, & omnium scientiarum Magistris ornata. Hanc postquam non perfunctoriè obierat provinciam, in Mexicum Superiorem destinatione translatus, è cathedra in suggestum sacrum transiens, Præfectus institutus fuit Congregationis Salvatoris, quæ antiquitate & multis clara nominibus viget in Domo Professâ Mexicæ. Hoc in theatro magnam sibi, Dei gloriam quærens, laudem paravit, communi satisfaciens expectationi, quæ fuerat eximia hominis, cujus fama jam diu Mexici percrebuerat, & qui sufficiebatur viro incomparabili P. Joanni Martinez de la Parra, scriptis suis toto orbe notissimo, nuper extincto, dum eidem præflect Congregationi, singulis Dominicis diebus Sodales & confertissimam, etiam eruditorum hominum, multitudinem instruens egregijs pro suo more Concionibus. Nostrum, Atlantem dixeris, qui demortui partes Herculis tulerit, Sodalitio celesti suis admoto humeris, & redivivum in Cortezio Parram auditores demirabantur, gratulari sibi metipsis talem Sodalitio obtigisse Præfectum, qualis sperari vix posset decessoris suis hæres exasse. Erat enim verò Cortezius eximia præditus eloquentiâ, multa imbutus doctrinâ, & perrara dicendi gratiâ, quibus facillè doctibus audi-



tores trahebat, delectabat, movebat, ut propterea avidè audiretur, & à popularibus, & verò etiam à Sapientibus, quæsitus Orator pro Festis & diebus tota Urbe insignibus. Ubi suæ per aliquot annos Præfecturæ munus implevit, alijs à Superioribus destinatus, rursus ad scholasticam revocatur Palæstram, iussus studijs majoribus præesse in Collegio Maximo Mexicano, donec per ætatem gravatus & valetudinem, aliò commigrans, inde ut pie credimus, migravit in cælum. Quamvis ediderit nulla, quæ sciamus, opera, reliquit tamen Mss plura & egregia, quæ uti scripsisse sumus certissimi, ita incerti quo in præsentiarum scrinio contineantur, aut Bibliothecâ. Sunt illa porro

*Cursus Philosophia, Libros complexus Summularum, Logice, Physicorum, Metaphysicorum, aliorumque de quibus Aristotelici tractant nostri.*

*Theologia Scholastica Tractatus varij.*

*Salvatoris Vita,*

Quæ non uno claudi posset, magno licet, volumine, quoniam Conciones fere omnes, quas habuit eo tempore quo illustri, quam diximus, præfuit Congregationi,

*Sermones varij morales & panegyrici, qui similiter tomos implere possent aliquos.*

*Responsa Moralia.*

† 250. F. ANTONIUS DAVILA PADILLA, Natione Mexicanus & Patria, germanus Fratrer Illmi. D. D. Augustini, Ordinis Prædi-

catorum, Archiepiscopi Domini-copolensis, quem elogio deinceps, vulgari minime, excipimus egregia ob acta & scripta; idem lectatus est Institutum S. Dominici in patrio Monasterio, cui splendorem addidit haud exiguum. Reliquis à se compositam

*Artem pro Mexicanâ Linguâ ad discendâ.*

Ejus elegantias, quæ oppido multæ sunt, faciliorem in methodum redigens, maximo studentium emolumento, ut Authores sunt citatus Augustinus in Historia Sanjacobæ Provinciæ lib. 2. cap. ultimo. D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispaniæ Novâ pag. 81. allegans Historiam Ord. Præd. lib. 4. cap. 55. quæ alia certè est à mox à nobis dicta, & duobus, non quatuor libris absoluta. Meminit etiam ejus Fernandez in Historia Ecclesiæ nostri temporis lib. 1. cap. 31. pag. 122. & Leon Pinelus in Bibliothecâ Occidentalis Epitome col. 720. editionis novissimæ Matritensis.

† 251. FR. ANTONIUS DAVILA, Natione Mexicanus, Patria Goatemalensis, Vexillum Seraphici Patris S. Francisci in Provincia SS. Nominis JESU securus, vir fuit non doctrinâ tantum, sed pietate etiam illustris, quas ipse dotes scriptis à se libris palam exhibuit, suas eò curas intendens, ut Redemptori nostro dita pro nobis passio, ejusdemque dolentissimæ Genitricis honor & amor

amor penderetur egregius, animæque in virtute proficerent. In hunc finem tres in quarto tomos idiomate hispano composuit, è quibus primus continet

*Sermones de Virgineis Doloribus, de Passione Domini, & de quinque Vulneribus.*

Secundus: *Sermones de Septem Jesu-Christi verbis in Cruce morientis.*

Tertius: *Exhortationes pro Monialibus, & Tertiarijs, cum excerptis ordine alphabetico pro Festis omnibus.*

Asservantur Mss in Bibliotheca Conventus Præcipui Franciscanorum de Goatemala, ut eorumdem Litteris docti sumus.

† 252. M. F. ANTONIUS DELGADILLO, Mexicanus ut minimum Domicilio, Ordinis S. Augustini in Provincia SS. Nominis JESU Mexicea alumnus, in Sacra Theologia Magister, & Universitatis nostræ Sodalis, Cathedram Sacrorum Bibliorum in ea rexit ad tempus nomine Perpetui ejusdem Antecessoris M. Fr. Melchioris à Regibus, sui itidem Instituti, quo tempore per se illam moderari haud poterat gravissimis curis distentus ab Academiâ jure probatus. Florbat ea tempestate apud Oppidum S. Fidei Venerabilis Gregorius Lupecius egregiæ nominis sanctitatis atque doctrinæ, in Scripturis potissimum cælestis nobis traditis, quo cum Nostrer agebat sæpe consulendi gratiâ de difficilimis

pro suo munere Bibliorum locis, atque etiam in spiritu proficendi, quem certè Gregorius faciliè conspectu suo, & paucis admodum verbis afflabat & incendebat. Nec minus familiariter utebatur P. Antonio Arias, Societatis JESU, viro gravissimo, qui primus in Gymnasio Collegij Maximi Sacras publicè Litteras interpretatus est, in unum uterque collimâtes scopum, & simul quandoque invisentes Gregorium, rogantes ipsum, excipientes dicentem cælestia, cælestemque inter homines vitam mirantes, ut Author est nobis vir item mirabilis electusque Dominicanopolensis Archiepiscopus D. Joannes Diaz de Arze Primarius itidem Sacrorum Interpres Mexicanus, in Quæstionario Expositivo suo, lib. 4. q. 103. fol. 234. col. 4. ubi etiam testatur se legisse Nostri ad P. Antonium Arias, & hujus ad illum scriptas doctissimas

*Epistolas.*

Commentaria verò, aut opera alia ab ipso elucubrata nos fugiunt, quod ea ætate vixerit, nempe ante nonagesimum proximè lapsi sæculi annum, qua non dum lex invaluerat Academica notandi in Annalibus Professorum Lektionen. Meminit etiam Nostri M. Grijalva in Chronicis suis f. 81. col. 3.

† 253. D. ANTONIUS DELGADO BUENROSTRO, Natione Hispanus, ortus Hispali, atque ut ipsius utamur sententia, Angelo-



politānus icidem Patria, namque sic ipse in Urbem hanc gratillimus publicè testatum voluit in Nuncupatoria, quam præfixit Sermoni de S. Rosa Peruana à se edito, apud Hispaniam eo tempore agente, ac memorante quæ retrò acceperat Angelopoli, Senecamque adducēte, qui cordatè satis scripserat: *Patria est ubicumque bene est.* Ab Hispalensibus in tēnna arate laribus in Americam nostrā deductus anno 1640. Angelopoli, celeberrima Urbe, constitit, & exorsus à Grammatica, Philosophiam, Theologiam que optimè didicit inter ephēbos V. Præfulis D. D. Joannis de Palafox; tum sacris initiatus, & Concionatoris munere functus, magnum sibi peperit nomen, litteris mores utique probatissimos socians. Propterea Illmūs. D. D. Joannes Garcia de Palacios, è Canonico Angelopolitano Habanensis creatus Episcopus, eum sibi à secretis delegit tulitque in Ecclesiam illam, eo usus cum ad peragenda negotia alia, tum etiam pro examinandis ijs qui Ordinibus initiandi essent, Confessionibus audiendis exponendi, aut ascensuri sacrum suggestum, aut Parochias recturi. Hinc natale solum brevi reperijt, in quo multas habuit, audientibus cultissimis viris, Conciones, nonnullas etiam edidit, probantibus ipsas Magistris doctissimis, eximijis pro earumdem merito elogijs. Ille tametsi multi, ut par erat, factus

à gentilibus suis, quam elegerat Patriam cogitans Angelopolim experensque, in Americam se reduxit Domiciliumque pristinum, ubi sermonibus denuo habendis traditus, & auditorum fructu, & Doctorum plausu susceptus, haud absimiliter Mexici fuit auditus, non numquam tempore quadragesimali statis diebus argumentum, ut sit, singulare secutus ex Historijs peticum sacris, ordinatè ad mores expensum atque partitum. Certè, magnum erat ejus in oratoria Evangelica nomen, nec immeritò comparatum: Ut enim operum, quæ typis dedit, Censores accuratissimi, & in eadem Facultate primarij testantur, & ipsa se legentibus scripta exhibent, egregia sunt, quòd gravitatem rerum subtilitati sociatam, ingenium unà ac judicium, dictionis elegantiam fucatam minimè, dispositionem ex arte, cœteraque christiani Ecclesiastes decora præferant. Fama est apud Angelopolitanos, ipsum memoriâ Biblia Sacra universa tenuisse. Ad Patres & Doctores quòd attinet, satis fuisse eruditum, eum panegyrici ejus Sermones, tum etiam morales ostendunt, in quibus quadragesima fere annos posuerat 1693. vertente, quo tomus in folio multi voluminis prodijt idioma hispano hoc titulo: *Historia variae canonice ad mores traducta in Conciones.* Angelopoli, ex Typographia Didaci Fernan-

andez de Leon 1693. in folio.

andez de Leon 1693. in folio. In quo, præter Evangelicas Orationes, à pag. 753. ad 948. varijs in Festis dictas, leguntur,

*Jobi nobilitas sex concionibus illustrata. Mors Patriarchæ Josephi totidem expressa sermonibus. Arca noetica allegorica, eluvionisque moralis historia in sex item orationes partita. Thronus Salomonis equali & ad ejus gradus respondente numero expressus. Sex majora, quæ à Mundo prodierunt scandala. Præclara animæ gesta justæ, in Muliere Apocalypica designata. Septem Angelica tuba. Amplificationes expositiva in Dominica Passionis historiam. Elogia Deiparentis Virginis ex Antiphona Salve Regina eruta & explanata.*

Alium item in folio tomum emisit sub titulo:

*Panegyrici sacri,*

Qui Orationes continet 35. de Christo Domino, de SS. Deiparente, de Cœlitibus varijs, ac de piacularibus ignibus addictis animabus. Hispali, ex Chalcographia Hæredum Thomæ Lopez de Haro 1696. in folio.

Scorsim præterea ediderat tomum in quarto alium simili ferè nomine:

*Panegyrici sacri apud Indias Nova Hispania dicti varij argumenti.* Hispali, ex Officina Thomæ Lopez de Haro 1679. Item 1680. in quarto. Extant etiam.

*Oratio evangelica in laudem S. Caietani Tiennai.* Angelopoli typis Didaci Fernandez de Leon 1695. in quarto.

*Oratio sacra in septimum Psalmi 50. versum.* Angelopoli, formis Joannis de Villareal 1696. in quarto.

*Pœma hispanum acta describens laudansque egregia Illmi. D. D. Emmanuelis Fernandez de Sancta Cruce, Episcopi Angelopolitani.* Extat ad calcem Panegyrici funebris ejusdem Præfulis editi à D. Josepho Gomez de la Parra. Ibidem ex Officina Hæredum Joannis de Villareal 1699. in quarto.

† 254 F. ANTONIUS DE DIAZ, Natione Mexicanus & Patria, strictiora S. Francisci Instituta sectatus in Provincia Excaltatorum S. Didaci Mexicana, à religiose & præclarè gestis, atque à litteris etiam meritò commendandus, Lector primùm Philosophiæ, dein Moralis Theologiæ Sodalibus datus, optimè functus Magisterio, alijs dein incubuit muneribus, cum domesticis, tum etiam extraneis, quæ doctrinam hominis & vitam commendant. Apud Episcopatum Antequerensem, seu de Goaxaca, cujus in primaria Urbe nudipedum Franciscanorum Cœnobium insigne viget, Synodalis Examinator est renunciatus, & ab Apostolico Fidei Senatu Mexico inter Theologos censendis propositionibus destinatos adscriptus. A Socijs verò Guardianus, ut dicunt, in præcipuis Conventibus habitus, tum etiam Definitor, & Provinciæ caput seu Minister electus, Paterque sub inde Familiæ, quam optimis exemplis



& prudentissimâ regulari disciplinâ informavit. Scripsit

*Philosophiæ Cursum ad Scori mentem Aristotelisque sensum, seu Libros Summularum, Logice, Physica, Metaphysica, &c.* in quarto.

*Varia ad Theologiam spectantia Moralem.* in quarto.

*Sermones item varios.* in quarto.

Quæ omnia penes suos Mss stare censemus. Edidit autem

*Sermonem panegyricum in Apoteosi S. Joannis à Cruce, à Carmelitis Excalceatis octiduo Mexici sollemnissimè celebrata.* Extat in libro ejusdem argumenti Conciones alias opusculaque id concernentia junctim amplectente. Mexici, apud Josephum Bernardum de Hoyal 1730. à pag. 346.

† 255 F. ANTONIUS DIAZ DEL CASTILLO, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis Seraphici in Provincia S. Evangelij filius, Philosophiâ donatus atque Theologia, bonisque litteris eruditus, Prædicatoris multa cum laude munus plurimis annis, & alibi & Mexici exercuit, quod aptus natus ad dicendum esset, stilo minime fucato, fluidâ oratione ad artis præcepta, judicioque polleat & facilitate, non exiguâ dives Scripturarum atque Interpretum eruditione. Sermones quidem condidit vix multis voluminibus comprehendendos, è quibus aliquos typis datos habemus, statim indicandos, ubi tomum à se historicum editum dixerimus idioma hispano sequenti titulo

*Manus religiosa, seu Descriptio Sacrarum Parochie Tolucentis.* Mexici, ex Typographia H. V. Michaelis de Ribera 1731. in quarto.

*Panegyris in dedicatione ejusdem Sacrarum dicta ab Authore.* Ibidem sub eodem codice.

*Oratio funebris habita ab eodem in Exequiis ductis D. Gaspari de Villalpando Centeno.* Mexici, mox datis typis 1722. in quarto. Habetur tom. 34. Collect. nostræ.

*Concio moralis in Sacello Regio Mexiceo dicta coram Senatu Regio secunda Feria sexta quadragesima.* Mexici, litteris Hæredum Viduæ de Lupercio 1724. in quarto.

*Panegyris in dedicatione Templi Deo sub nomine S. Bartholomæi Apostoli apud Oppidum de Ozolotepec excitati.* Formis Hæredum Michaelis de Ribera 1729. in quarto.

*Panegyris de S. Patriarcha Dominico in novi Altaris dedicatione Deo ejus nomine consecrati.* Mexici, eisdem litteris 1722. in quarto. Habetur tom. 74. Collect. nostræ.

† 256 P. ANTONIUS DIAZ DE GODOY, Natione Mexicanus & Patria, Latinitate instructus & Philosophia in Collegio Maximo Societatis JESU Mexiceo, Aulis itidem Academicis frequentatis, lauricâ donatus, Theologicas etiam excoluit magno cum fructu, quem ut ferret multo uberiolem, Academicæ se adjunxit tum coalescenti apud ædes Congregationis Oratorij, proptereaque à S. Philippo Nerio etiamnum dictæ; in qua cum Theosophiâ referendis arcanis,

nis, tum etiam Orationibus construendis panegyricis, numerisque poeticis concinnendis incubuit. Tum mox dictæ Oratorij addictus Congregationi, & Sacerdotio initiatus, ad mortem usque annos ferme 40. in ea substitit, atque pro Instituto, quod suscepit, laboravit. Potissimum vero sacro à Superioribus destinatus suggestui, hanc alacer obeundam provinciam assumpsit, & strenuè quidem excoluit: nam frequentissimè è superiori loco dicebat, & domi & foris, etiam exiguo sibi tempore dato, imò multoties extempore ferè, quod casus ita tulerint multi, multum que ipse huic muneri vigilaverit. Duodecim extremis vitæ annis in Oratorio ad fratres dixit alternatim cum Socio diebus Dominicis, multa quidem Scripturarum & Patrum atque Interpretum eruditione, quam usu sibi comparaverat & studio quotidiano, suas in libris delicias & otia reponens, ac subinde assiduus in Bibliotheca, cujus perpetuam curam gessit, communi, cui moriens multa & selecta legavit volumina. In historiâ veritari sacra etiam amabat, & in Theologia mores dirigente pro consulentiū utilitate, quibus & in confessione sacramentali & extra providere multis satagebat. Ad hæc librorum Censor à Quæstoribus Fidei designatus, hanc itidem ornavit spartam. In Congregatione multis fuit muneribus, nam &

Præfectus Oratorij non uno fuit triennio, & unus è Deputatis, qui Superiori adsunt pro Congregationis regimine, & Præpositus eisdem, ut sit per triennium. Hæc inter piè vitam duxit christianis conspicuam virtutibus, & multis erga SS. Deiparentem, potissimum sinu complexam suo mortuum Filium, amoris argumentis insignem, quam deposuit anno 1743. die 27. Maji, non dum absoluto solenni, quod agitur quotannis in honorem S. Parentis Philippi, triduo, quem in celestibus laudatarum, pro ut in terra fecerat, speramus. Scripsit

*Compendium vita S. P. N. Philippi Neri pro meditationibus tradita italo sermone à P. Francisco Amadeo de Ormea, è Congregatione Oratorij Augustæ Taurinorum, hispanâ donatum versione.* Mexici, typis Hæredum Viduæ Michaelis de Ribera 1714. in octavo.

*Sanctorum Spiritus Fundatorum in S. Philippi Neri spiritu expressum.* Idiomaticè hispano. Mexici, in eadè Typographia 1727. in quarto. Habetur tom. 4. Collect. nostræ.

*Instauratum Altare: Sanctus in conversione sua Apostolus Paulus.* Hispano sermone. Mexici, typis D. Mariæ de Ribera 1742. in quarto. Extat dict. t. Collect. nostræ.

Alia quæ edidit opuscula minuta prætermittimus. In Schedis autem reliquit latino sermone

*Commentaria in librum Job,* sed non absoluta, in folio.

*Commentaria in caput primum*



*Geneleos*, duodecim codicibus, quos ferè omnes legimus, Authore vivente, multa cum ex sacris Biblijs & Doctoribus eruditione refertis, tum etiam ex Theologiâ Scholasticâ, quæ sex dierum primordialium opera expendit, in quarto.

Hispanâ linguâ, *Exercitia S. Antonij Patavini, degentis in solitudine, id est, Christiana meditationes ex Scriptis S. Antonij desumpta, verbis ejusdem & sententijs per totum deductis opusculum*, quod itidem legimus.

*Sermones item panegyricos & morales.* Tomis 5. eodem etiam idiomate.

*Monumenta pro historiâ Congregationis sue Mexicæ recondâ.* In quarto. Quæ omnia Mss extant apud Symmistas suos.

257. FR. ANTONIUS ESCARAY ( Non Escaroy, ut bis legitur in Bibliotheca Franciscana, nempe tom. 1. pag. 103. & tom. 3. in Appendice post Indicem alphabeticum ) Natione Hispanus, ortus apud Mantuam Carpentorum, in Americam nostram deductus ab Illmò. viro D. D. Fr. Bartholomæo Garcia de Escañuela, ejusdem Instituti, Episcopo Portudivitensi, ut à secretis sibi esset & sacris Confessionibus, eo usus est etiam pro Testamentorum & Piarum causarum Judiciis, proque ejus nomine Visitatoris titulo invisendâ Provincie parte. Promotus Antistes in Ecclesiam Novæ Cantabrie, vul-

go dictam de Guadiana, Nostrum secum transtulit eisdem institutum muneribus, si unum excipias Judicis Testamentorum & Piarum Causarum. Undecim apud Episcopum annis moratus, Mexicanæ se adjunxit Provincie Regularis Observantiae S. Francisci, nuncupatæ à S. Evangelio, cui à secretis fuisse anno 1681. habemus ex Oratione in laudem immaculatæ Virginis in Universitate Mexicanensiu ab eo recitatâ, Doctoribusque plaudentibus edita. Certè multo cum Sapientum plausu sæpe per id tempus è superiori loco dicebat, quamvis non defuerint obrectatores, plagij ipsum nota inurentes, perinde quasi Domini quondam sui D. Bartholomæi de Escañuela, notissimi Concionatoris & celeberrimi, partus asciceret, Aspeticumque Graculum ageret. Hanc ut à se propulsaret calumniam, eidem Illmò. Præsuli nuncupavit concionem, quam & dixit & edidit de *Compensandis Afferioris nostri ac vindicis dilectissimi injurijs*, Mecenatem obtestatus, ut ea clientem liberaret criminatione, palamque diceret, quot & quales sibi suggerisset sermones, aut scriptos, ut eisdem uti posset, unquam communicasset. Faretur quidem Magistrum auscultasse Patronum suum, à quo didicisse profecisse que multum, quod hominis est ingenui, haud erubescit; ceterum Corniculæ instar alienis implumescere calamis, furtoque or-

nari, pro sui nominis honore detrectat. Sanè nulli deinceps dubium ea de re hæsit, experientiâ cunctos docente, quantum in oratoria Facultate emineret, quod clarius multo patuit atque diffusius, brevi eo Collegium Querentansè à S. Cruce nominatum petente, quod nuper erectum fuerat, & de Propaganda Fide institutum proficetur, Sodalibus ejus expeditionibus spiritalibus, non modò Fideles inter, sed verò etiam inter Paganos deditis.

258. Eò ubi se Noster recepit, concedita sibi à Deo talenta in animarum procurandâ salute collocavit, & quòd non dum liceret infidelibus evangelizare, Fideles duobus comitibus lustrandos suscepit in vastissima Dicecesi Guadalaxarensi, seu Novæ Gallectiæ, quam peragravit totam, anno 1685. solido in expeditione illa consumpto, eximijs conquestis penitentiae & reformationis innumerabilium penè christianorum lucris, quæ recenset diligens æque ac eloquens Chronographus eorundem Collegiorum Fr. Isidorus de Espinosa lib. 1. cap. 20. & 26. Nec minori profectu res in ipsa Urbe primaria, Episcopi & Regij Auditorij Sede, successit, Nostro primâ hebdomade singulis alternatim diebus ad frequentissimam multitudinem è suggestu dicente, & vicissim clarissimo Pontifice D. D. Joanne Jacobo de Leon Garabito, qui in Antonij suffectus locum hebdomade

sequenti, quòd ægrotasset, tribus continenter diebus ejus vices sustinuit. Hinc versus Zateccas Noster iter instituit, qua in Urbe difficile dictu est, quantum verbo & exemplo profecerit, jactis ex tunc seminibus, ut tempore procedente amplissimum ibi Collegium instituti de Propaganda Fide surgeret, quòd à Guadalupe dictum jam diu eminet. Reliquum erat ut Paganis eandem prope ditionem huc illucque vagantibus ad littora fluminis Blanco dicti in Novo Legionis Regno, Catholicæ Fidei dies illucfceret, quam ut illis Noster afferet, multis egit ac multis, donec doctus experimento post non paucos menses, immaturam adhuc segetem novit, nec mitescere posse fugientes barbaros, à quibus subinde recessit, alia in Collegio suo, quod reperijt, acturus, quæ quoniam nos fugiunt, ea tacente Historiographo, & in alterum Tomum, qui non dum est editus, reservante, silere & nos cogimur, scripta jam hominis relaturi sequentia

*Doloris voces ex sceleorum multitudine nata, quæ luxu causa vestrum oriuntur.*

Hispano sermone liber intextus est multis & gravissimis adversus prophanorum habituum luxuriam objurgationibus, quam egregio infectatus est Authòr zelo, & fructu haud minori in concionibus suis, plurimas ab istiusmodi vanitate feminas revo-